Digitized by Google

40 · 2 · 240

Digitized by Google

A

10.2.240

Digitized by Google

LAURENTII-MARIÆ LAPI

THEOLOGIA
SCHOLASTICA

ELEGIACIS VERSIBUS EXPRESSA.

Digitized by Google

THEOLOGIA SCHOLASTICA

ELEGIACIS VERSIBUS EXPRESSA,

Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, Sanctorumque Patrum auctoritate firmata

A LAURENTIO-MARIA LAPI SACERDOTE,

Sacræ Theologiæ Doctore, & in publica Florentini Seminarii Academia Moralis Theologiæ Lectore.

AD ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. D.

D. JOSEPHUM-MARIAM

MARTELLI

ARCHIEPISCOPUM FLORENTINUM,

Pontificio Solio Aſſiſtentem, ac Sac. Rom. Imp. Principem.



FLORENTIÆ, Typis Antonii-Mariæ Albizzini. 1728.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

10. 2. 240

Digitized by Google

ILLUSTRISSIME, AC REVERENDISSIME

PRÆSUL, AC PRINCEPS.

POſtquam mecum ipſe decrevi, PRÆSUL ampliſſime, ut eorum voluntati, quibus obſequi mihi neceſſe eſt, ſatisfacerem, hunc meum Libellum de Theologicis rebus poëticè conſcriptum publica luce do-

Digitized by Google

nare, non diu deliberandum fuit de Patrono eligendo, cujus fidei, tutelæque commendaretur, ejuſque ſub auſpiciis ſarctus, ut ajunt, & tectus palam circumferretur. Nam quemadmodum Sol pulchritudine ſua, ſpecieq;admirabili,ſuo ſtatim exortu omnium ad ſeſe oculos rapit, vel aliò contuentium; ita Tu oculis ultro meis unus protinus occurriſti; cujus quidem eſt tanta gravitas, atque dignitas, ut permagno futurus ſis præſidio, & ornamento, ſi velis: tanta eſt, ac tam mira benignitas, atque humanitas, ut nolle planè non poſſis. Cum præſertim Libellus hic Theologico-poëticus, qui in ſinum Tuum veluti confugit, qualiſcumque eſt, Tuus ſit, ob eamque rem Tibi debitus pleno jure. Tuus eſt nempe, quòd & omnibus bonis artibus, & poëtica facultate, præſertim ab ineunte ætate, mirabiliter es delectatus: Tuus eſt, quòd, cum publicus ſis Florentinæ Eccleſiæ Magiſter, & Princeps, Theologicam Doctrinam, quam ille continet, magno habes in pretio, ejuſque ductu, quotquot inſurgunt, præſto es dirimere controverſias: Tuus eſt denique, quòd, cum foveas mirum in modum ſtu-

dio-

dioſos adoleſcentes, in ſtudiorum meorũm curriculo, cujus eſt hic veluti fructus, & dux mihi fuiſti, & auſpex, & fautor præſtantiſſimus; quare, ut Lyrici verbis utar,

Quod ſpiro, & placeo (ſi placeo) Tuum eſt.

His ergo de cauſis, PRÆSUL ampliſſime, haſce meas lucubrationes in tuam confero clientelam; eaſque ut hilari accipias, atque ſerena fronte, pro Tua ſingulari clementia, etiam, atque etiam rogo; quandoquidem publici juris factæ, & meæ obſervantiæ erga Te ſummæ, & Tuæ paternæ in me benevolentiæ teſtimonium erunt perpetuum.

Dominationis Tuæ Ill.ᵐᵃ & Rev.ᵐᵃ

Humillimus, Addictiſſimus, & Obſequentiſſimus Famulus
Laurentius-Maria Lapi.

Digitized by Google

LECTORI
HUMANISSIMO

Laurentius-Maria Lapi.

Opuſculum hoc tibi exhibeo, humaniſſime Lector, in quo Theologiæ ferè univerſæ ſumma capita continentur, in meum privatum commodum primò exaratum, nunc publici juris factum. Etenim cum non multis ab hinc annis Theologicæ Facultati operam darem, Eccleſiaſticæ Militiæ rite deſtinatus, in mentem venit, ut, quæ in dies audiebam, præcepta altiùs memoriæ inſiderent, ea, quàm breviſſimè poteram, verſiculis Elegiacis complecti. Sed, cum haſce meas curas in Theologicas inſtitutiones doctis Viris, quorum magna eſt apud me, ut eſſe debet, auctoritas, per otium, ut fit, lectitarem; me omnes certatim hortari cæperunt, ut eas in lucem ederem, certò futurum pollicentes, ut ex eis Libellus conſurgeret compendioſus, ac Theologicæ Doctrinæ ſtudioſis non parum proficuus. Quorum omnium ſuaſionibus, cum conſilium acceſſerit eruditiſſimi Viri, in Florentina Univerſitate Theologi, Joſephi Mariæ Brocchi, Moderatoris Seminarii Florentini, meique olim peramantiſſimi Præceptoris, adduci tandem paſſus ſum, ut emitterem,

- - - - quod poterat tutius eſſe domi.

Cæterùm habes in hoc Libello Scholaſticæ, ut ajunt, Theologiæ dogmata, documentaque ſelectiora Sacrarum Litterarum, Concilio-

lio-

Digitized by Google

liorum, Sanctorumque Patrum oraculo confirmata; Poëtica quidem Lege deſcripta, ſed à Muſarum, Gratiarumque lenociniis prorſus aliena. In eo ſiquidem totus fui, ut Theologicas res pertractarem breviter, atque dilucidè, iiſdem ferè verbis, quibus Theologi utuntur paſſim in Scholis; quandoquidem

Ornari res ipſa negat contenta doceri.

Cum præſertim altiſſimæ, præſtantiſſimæque Diſciplinæ Scientiarum omnium Reginæ præcepta tradere numeroſè, concinnè, eleganter, ac perpolitè, & omnibus quidem difficile, & mihi, qui ingenio utor infirmo, & uſu, atque exercitatione parum valeo, ſit difficillimum. Vale.

IN-

Digitized by Google

INDEX TRACTATUUM.

De fide. Pag. 1.

De Deo, ut uno. Pag. 5.

De Deo, ut trino. Pag. 11.

De creatione Angeli, et hominis, ac utriusque lapsu. Pag. 15.

De divini Verbi Incarnatione. Pag. 23.

De gratia divina. Pag. 31.

De Sacramentis in genere, et præcipue' de venerabili Eucharistiæ Sacramento. Pag. 37.

Digitized by Google

DE FIDE.

I.

1 EST ſperandarum ſimplex ſubſtantia rerum,
Non adaperta hominum ſenſibus, alma Fides.
2 Nemo ſed abſque Fide ſperet conſcendere Cœlum:
3 Hac ſine namque Deo nemo placere poteſt.
Ergo ſidereâ recipi qui ſede, beatos
Et cupit æternâ vivere luce dies,
4 Omnia nil dubitans animo veriſſima credat,
Quæ bene doctus erit propoſuiſſe Deum.
5 Explicitèque Deum primò ipſum exiſtere credat,
Qui dat dona Bonis, ſuppliciumque Malis.

1 Eſt autem Fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. *Ad Hebr.* 11.

2 Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. *Marc.* 16.

3 Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo. *Ad Hebr.* 11.

4 Tunc Scripturarum à nobis tenetur veritas, cum id facimus, quod univerſæ placuit Eccleſiæ, quam ipſa Scripturarum commendat auctoritas. *S. Auguſtin. contra Creſconium lib.* 1. *cap.* 33.

5 Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. *Ad Hebr.* 11.

6 Quique Unus, Trinuſque eſt; (7) æternique Parentis
Filius eſt noſtra ob crimina factus homo.
8 Multa alia explicitè, implicitè quoque plura deinde
Credere non dubiâ mente tenetur homo.
9 Exigit ipſa Fides, Fidei ne diſſona verba
Quis fundat; faciunt impia verba reos.
10 Adde: Fidem juſſus clarè fateatur, oportet:
Illo ne ſubeat damna tacente Fides.
11 Ore, animoque igitur tu firmiter omnia crede:
12 Certus es, & nunquam credere falſa potes.
13 Scilicet ipſe Deus nobis credenda revelat,
14 Qui nec falli, (15) nec fallere velle poteſt.
16 Quod jubet, ergo, Fides nos omnes credere, verum eſt,
17 Omnibus atque nimis credibile eſſe liquet.

6 Fides Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur. *S. Athanaſ. in Symb.*

7 Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, ut Incarnationem quoque Domini noſtri Jeſu Chriſti fideliter credat. *S. Athanaſ. in Symb.*

8 Quantùm ad prima credibilia, quæ ſunt articuli Fidei tenetur homo explicitè credere: quantùm autem ad alia credibilia non tenetur homo explicitè credere, ſed ſolùm implicitè, vel in præparatione animi, in quantùm paratus eſt credere, quicquid divina Scriptura continet. *S.Thom. 2. 2. quæſt. 2. art. 5.*

9 Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis eſt. *Matth.* 10.

10 Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua. *Luc.* 9. Si aliquis interrogatus de Fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quòd non haberet Fidem, vel quòd Fides non eſſet vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à Fide: in hujuſmodi caſibus confeſſio Fidei eſt de neceſſitate ſalutis. *D.Thom. 2. 2. quæſt. 3. art. 2.*

11 Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. *Ad Roman.* 10.

12 Fidei non poteſt ſubeſſe falſum. *Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 9.*

13 Hic prius per Prophetas, deinde per ſe ipſum, poſtea per Apoſtolos, quantùm ſatis eſſe judicavit, locutus, etiam Scripturam condidit, quæ Canonica nominatur eminentiſſimæ auctoritatis, cui fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per nos ipſos noſſe idonei ſumus. *S. Auguſtin. de Civ. Dei lib.* 11. *cap.* 3.

14 Numquid decipietur, ut homo? *Job* 13.

15 Non eſt Deus, ut homo, ut mentiatur. *Num.* 23.

16 Cœlum, & Terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. *Luc.* 21.

17 Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. *Pſalm.* 92.

18 Cre-

18 Credendum tutò eſt; variâ ratione probatur:
Plurima ſigna etenim, & fortia facta movent.
19 Dogmata quêis Fidei, mediis educta tenebris,
Fiunt clara ſatis, digna ſatiſque fide.

18 Multa ſunt, quæ me juſtiſſimè tenent in Eccleſiæ Catholicæ gremio: tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipsâ Sede Petri Apoſtoli, uſque ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio Sacerdotum. *S. Auguſt. lib. contra Epiſt. Fundam. cap. 4.*

19 Sed hoc in his ſupra modum mirabile, quia, quotquot veraciter fideles ſumus, nil certius, nil conſtantius tenemus, quàm quod Fide apprehendimus. Sunt namque Patribus cœlitus revelata, & tam multis, tam magnis, tam miris prodigiis divinitus confirmata, ut genus videatur eſſe dementiæ in his, vel aliquantulùm, dubitare. Innumera itaque miracula, & alia, quæ non niſi divinitus fieri poſſunt, in hujuſmodi Fidem faciunt, & dubitare non ſinunt: utimur itaque in eorum atteſtatione, ſeu etiam confirmatione ſignis pro argumentis, prodigiis pro experimentis. *Ricch. à S. Vict. lib. 1. de Trinit. cap. 2.*

Digitized by Google

DE DEO, UT UNO.

II.

Eſſe Deum quiſnam inſanâ niſi mente negârit?
1 Eſſe Deum quando comprobat omne, quod eſt.
2 Quiſve Deum non credat adhuc, non prædicet unum?
3 Deſipere eſt plures connumerare Deos.
3 Credere namque Deos plures eſt credere nullos:
4 Ergo nullus erit, vel Deus unus erit.
5 Eſt Deus ergo unus; (6) quem dicere nomine digno,
7 Aut hìc perfectè noſcere quis poterit?
8 Optimus, immenſus, ſummus, juſtiſſimus ille eſt:
Ille in ſe latè continet omne bonum.

1 A magnitudine ſpeciei, & creaturæ poterit cognoſcibiliter Creator horum videri. *Sap.* 13.

2 Videre, quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me. *Deuter.* 32.

3 Diximus multitudinem Numinum nullitatem eſſe Numinum. *S. Athanaſ. in oratione contra Gent.*

4 Deus, ſi non unus eſt, non eſt. *Tertull. lib.* 1. *contra Marcionem cap.* 3.

5 Unus eſt Deus. *S. Athan. in Symb.*

6 Facilius dicimus, quid Deus non ſit, quàm quid ſit. Terram cogitas, non eſt hoc Deus: omnia cogitas, quæ ſunt in Terra, in Mari, in Cœlo, non eſt hoc Deus: hoc ſolùm poſſum dicere, quid non ſit Deus, non quid ſit. *S. Auguſtin. in Pſalm.* 85.

7 Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate. *Ad Cor.* 13.

8 Cuncta continet Deus, ſecundùm plusquam ſimplicem infinitatem ſuam, & ab omnibus ſingulariter participatur. *S. Dionyſ. lib. de div. Nomin. cap.* 5. §. 9.

9 Con-

Digitized by Google

9 Continet omne bonum Deus: omne bonũ eſt Deus ipſe;
In quo diſtingui nil niſi mente poteſt.
10 Semper & eſt idem, nullo mutabilis ævo:
Et vult, quod voluit, quod voluitque, volet.
11 Secula & ante fuit, poſt ſecula cuncta futurus,
Cui neque principium, cui neque finis erit.
12 Hinc ſequitur quòd ſint ipſi præſentia cuncta;
Scilicet eſt præſens, quod fuit, eſt, & erit.
13 Cumque ſit immenſus naturâ, eſt totus ubique:
Et Cœlum, & Terras, & loca cuncta tenens.
14 Eſt infinitè perfectior ille creatis,
15 Ille omnis latè fons, & origo boni.
16 Cunctarum eſt illi perfecta ſcientia rerum,
17 Æterna, & nullo limite ſepta manet.
18 Hac & ab æterno cognoverat ille futura
Omnia, quæ modò ſunt, quæque fuere, & erunt.

9 Sed natura Dei cum ſimplex ſit, mirandum valdè eſt, cur dicit: *qui noverunt eum, ignorant dies illius*: neque enim aliud ipſe, atque aliud dies ejus ſunt; Deus namque hoc eſt, quod habet. Æternitatem quippe habet, ſed ipſe eſt æternitas; lucem habet, ſed lux ſua ipſe eſt; claritatem habet, ſed ipſe eſt claritas ſua: non eſt ergo in eo aliud eſſe, & aliud habere. *S. Gregor. Moral. lib.16. cap.43. num. 54.*

10 Ego Deus, & non mutor. *Malach.3.*

11 Ipſe eſt Deus vivens, & æternus in ſecula. *Daniel. 6.*

12 Omnipotenti itaque Deo non eſt heri, vel cras, ſed hodie ſempiternum. *S.Petr. Damian. Opuſc. 36. cap.8.*

13 Cœlum, & Terram ego impleo. *Jerem. 23.*

14 Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis. *Pſal. 144.* Quantò his Dominator eorum ſpecioſior eſt. *Sap. 13.*

15 Bonitas Dei eſt bonitas totius Univerſi. *D. Thom. 1. 2. qu. 79. art. 10.*

16 Domine, qui habes omnium ſcientiam. *Heſter 14.*

17 Deo nec novum aliquod penitus accedit, nec aliquid ab eo per temporis momenta recedit; ſed nec diverſis obtutibus diverſa conſiderat, ut cum intendit præteritis, vacet à præſentibus, vel futuris, vel rurſus cum præſentia, ſive futura conſiderat, oculos à præteritis avertat; ſed uno dumtaxat, ac ſimplici præſentiſſimæ majeſtatis intuitu ſimul omnia comprehendit: neque hoc confusè, atque inexplicatè, ſed omnia diſcernit, ac juxtà proprietatem ſuam quæque diſtinguit. *S.Petr. Dam. Opuſ.36. cap. 7.*

18 Deus æterne, qui noſti omnia, antequam fiant. *Daniel. 13.*

19 No-

19 Novit adhuc & contingentia libera; (20) nullo
Noſtra eſt libertas vulnere læſa tamen.
21 Cætera dicendum certâ & cognoſcere mente,
Quæ nunquam fient, ſed tamen eſſe queunt.
22 Adde: ipſum nullâ poſſunt ratione latere,
Quæ fierent aliquâ conditione datâ.
23 Inque Deo reſidet vera, & perfecta voluntas,
Quæ longè humanam nobilitate præit.
24 Hac primò ſêipſum præ cunctis velle creatis
Dicitur, & ſêipſum primò adamare Deus.
25 Dêin & quæ fuerant, quæ ſunt modò, quæque futura
Is vult: nilque foret, ni Deus eſſe velit.
26 Sed, quamvis velit omne Deus, quod tempore quovis
Eſt, nunquam mala vult: nam mala velle nequit.
27 Arbitrioque ſuo pollet divina voluntas;
Nam, quæcumque velit, protinus illa facit.

19 Intellexiſti cogitationes meas de longè, ſemitam meam, & funiculum meum inveſtigaſti, & omnes vias meas prævidiſti. *Pſal.* 138.

20 Sicut tu memoriâ tuâ non facis facta eſſe, quæ præterierunt; ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda, quæ futura ſunt. *S. Auguſtin. de liber. arbitr. lib. 3. cap. 4.*

21 Qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt; *ad Rom.* 4 Quædam ſunt, quæ ſunt in potentia Dei, vel creaturæ, quæ tamen nec ſunt, nec erunt, neque fuerunt, & reſpectu horum non dicitur Deus habere ſcientiam viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ. *S. Thom. 1. p. qu. 14. art. 9.*

22 Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent. *Matth.* 11.

23 Voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. *Ad Rom.* 12.

24 Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. *Prov.* 16. Deus vult ſe, & alia, ſed ſe, ut finem, alia, ut ad finem, in quantùm condecet divinam bonitatem etiam alia ipſam participare. *S. Thom. 1. p. qu. 19. art. 2.*

25 Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti; nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti: quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes. *Sap.* 11.

26 Non Deus volens iniquitatem tu es *Pſal.* 5. Quòd malum eſt, potius nihil debet dici, quam aliquid: atque ideò nihil præjudicat, ſi dicamus Deum omnia poſſe, licèt mala non poſſit. *S. P. Damian. Opuſc 36. de Omnip. Dei cap* 10.

27 Omnia, quæcumque voluit, Dominus fecit in Cœlo, & in Terra, in Mari, & in omnibus abyſſis. *Pſal.* 134.

28 Ta-

28 Talis & illius vis eſt altiſſima, ut omne
Confeſtim fiat, ſola quod illa velit.
29 Inque voluntatis divinâ ſede ſupremæ
Eſt amor, eſt odium, juſtitia, & pietas.
30 Et, quæ perpetuâ Mundum ſub lege gubernat,
Mens eſt æterni provida, & æqua Dei.
31 Fortiter attingens Deus, atque ſuäviter omne,
Hac regit, in finem dirigit omne ſuum.
32 Ipſe & ab æterno mortales eligit illos,
33 Quos fore ſe dignos conſcius ante videt.
34 Permiſſu & reliquos juſto reprobare fatendum eſt,
35 Quos præcognoſcit jam fore ſponte malos.
36 Sive ſit Electos inter ſine fine beatos,
Sive inter Reprobos noſcere nemo poteſt.
37 Attamen Electo æternâ mercede potiri
Divino dabitur cominus ore frui.

28 Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt. *Pſal.* 148. Sola Deus voluntate molitur, & ſolum ejus velle factum eſſe conſequitur. *Clem. Alexandr. in Protrepticon, ſive admonit. ad Gent. infra medium.*

29 Diligis omnia, quæ ſunt. *Sap.* 11. Odio ſunt Deo impius & impietas ejus. *Sap.* 11. Juſtitia tua, juſtitia in æternum. *Pſal.* 118. Miſericordias Domini in æternum cantabo. *Pſal.* 85.

30 Tua, Pater, providentia cuncta gubernat. *Sap.* 14.

31 Attingit à fine ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. *Sap.* 8.

32 Elegit nos in ipſo ante Mundi conſtitutionem. *Ad Ephef.* 1.

33 Deus perſonarum acceptor non eſt, unde & Apoſtolus ait: quos præſcivit, & prædeſtinavit, non enim ante prædeſtinavit, quàm præſciret, ſed quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit. *S. Ambroſ. de Fide lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 83.

34 Eſau reprobatus eſt. *Ad Hebr.* 12. cum per divinam providentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad divinam providentiam, ut permittat aliquos ab iſto fine deficere; & hoc dicitur reprobare. *S. Thom.* 1 *p. qu.* 23. *ar.* 3.

35 Gratia Dei non priùs eos deſeruit, quàm ab eis deſeratur, & quia hoc ipſos voluntariâ defectione facturos prævidit, ideo in prædeſtinationis electione illos non habuit. *S. Proſp. lib.* 1. *reſponſ. ad capit. Gall. ad cap.* 7.

36 Neſcit homo finem ſuum. *Eccle.* 9.

37 Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. 1. *ad Cor.* 13.

38 Nam-

38 Namque novis radiis mens illuſtrata valebit
Auctorem, prout eſt, noſtra videre ſuum.
39 Quique omni prorſus moriuntur labe carentes,
Ilicet æthereâ Numen in arce vident.
40 Atque videndo Deum fiunt ſuper aſtra beati:
41 Atque hinc conſequitur certus, & almus amor.
42 Verùm non omnes æquali ſorte beati;
Non parili cunctis gloria lance datur.
43 Gloria par meritis: meritorum quantus acervus,
Tanta homini adveniet gloria, ſplendor, honos.

38 Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. *Pſalm.* 35. Videbimus eum, ſicuti eſt. 1. *Joan.* 3.

39 Felix anima, quæ, terreno reſoluta corpore, libera Cœlum petit: ſecura eſt, & tranquilla, non timet hoſtem, neque mortem, habet enim præſentem, cernitque indeſinenter pulcherrimum Dominum, cui ſervivit, quem dilexit, & ad quem tandem læta, & glorioſa pervenit. *S. Auguſtin. in lib. Medit. cap.* 22.

40 Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. *Joan.* 14. Vita æterna unicuique evenit ex hoc, quòd videat Deum. *S. Iren. lib.* 4. *cap.* 37.

41 Voluntas videntis Dei eſſentiam ex neceſſitate amat. *S. Thom.* 1. 2. *qu.* 4. *a.* 4.

42 In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. *Joan.* 14. Stella à ſtellâ differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. 1. *ad Cor.* 15.

43 Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuũ laborẽ. 1. *ad Cor.* 3.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE DEO, UT TRINO.

III.

1 HActenus eſſe Deum planè monſtravimus unum;
Eſſe Deum trinum nos docet inde Fides.
2 Unus naturâ eſt: naturâ Spiritus unâ,
Cum Genitore, ſimul cum Genitoque manet.
2 Una trium Deitas, una eſt eſſentia, & una
Vis; & ineſt Deitas una, eademque tribus.
3 Et Genitor Deus eſt, Genitus quoque, Spiritus æquè
Eſt Deus; inque tribus non niſi Numen idem.
4 Cumque hominum excedant Triadis myſteria mentem,
Hæc eadem firmâ noſcere diſce fide.

1 Fides catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur. *S. Athanaſ. in Symb.*

2 Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quòd unus ſolus eſt verus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; tres quidem perſonæ, ſed una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura omnino ſimplex. *Concil. Later. ſub Innoc. III. in decreto Fidei.*

3 Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus; & tamen non tres Dei, ſed unus eſt Deus. *S. Athanaſ. in Symb.*

4 Quamobrem quoniam Trinitatis æternitatem, & æqualitatem, & unitatem, quantùm datur intelligere cupimus, priùs autem quàm intelligamus, creſcere debemus. *S. Auguſtin. de Trinit. lib. 8. cap. 5.*

Digitized by Google

5 Progenuit Gnatum ſe in ſemet mente reflectens,
Se Deus æterno concipiens animo.
6 Filium amat Genitor, redamat Genitus Genitorem;
Spiritus & ſanctus ſic ab utroque venit.
7 Procedit Patris, Natique è Numine eodem
Spiritus; (8) ex uno principioque fluit.
9 Æternus Pater eſt, æternus Filius, atque
Spiritus: æterni haud tres tamen, unus at eſt.
10 Filius eſt genitus: (11) procedit Spiritus: (12) unus
A nullo factus, progenituſve Pater.
13 Filius & Verbi donatur nomine; (14) quippe eſt
Conceptus mentis, vivaque imago Patris.
15 Nomen Amoris habet ſimul, & vim Spiritus; (16) ipſe
Eſt ardor Gnati mutuus, atque Patris.

5 Proceſſio Verbi in divinis habet rationem generationis; procedit enim per modum intelligibilis actionis. *S. Thom. 1. p. quæſt. 27. art. 2.*

6 Præter proceſſionem Verbi, ponitur alia proceſſio in divinis, quæ eſt proceſſio Amoris. *S. Thom. 1. p. quæſt. 27. art. 3.*

7 Spiritus ſanctus à Patre, & Filio procedens. *S. Athanaſ. in Symb.*

8 Fideli, ac devotâ profeſſione fatemur, quòd Spiritus ſanctus æternà ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno principio, non duabus ſpirationibus, ſed unicâ ſpiratione procedit. *Concil. Gener. Lugdun. ſub Gregorio X. cap. unic. de ſumm. Trinit. & Fid. Cathol.*

9 Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus ſanctus; & tamen non tres æterni, ſed unus æternus. *S. Athanaſ. in Symb.*

10 Filius à ſolo Patre non factus, nec creatus, ſed genitus. *S. Athanaſ. in Symb.*

11 Spiritus ſanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. *S. Athanaſ. in Symb.*

12 Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus. *S. Athanaſ. in Symb.*

13 Verbum ſolus Filius accipitur. *S. Auguſtin. lib. 6. de Trinit. cap. 2.*

14 Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ. *Ad Coloſſ. 1.*

15 Spiritus ſanctus procedit per modum voluntatis, ut amor. *S. Thom. 1. p. quæſt. 36. art. 2.*

16 Manifeſtum eſt, quòd non aliquis duorum eſt, quo uterque conjungitur, quo Genitus à Gignente diligatur, Generatoremque ſuum diligat, ſintque non participatione, ſed eſſentiâ ſuâ, neque dono ſuperioris alicujus, ſed ſuo proprio ſervantes unitatem Spiritus in vinculo pacis. *S. Auguſtin. de Trinit. lib. 6. cap. 5.*

Digitized by Google

17 Dicitur & fieri in divinis miſſio: (18) Verbum
Nunc legitur miſſum, nunc quoque miſſus Amor.
19 Namque Pater Natum mittit, (20) Natuſque, Paterque
Mittit, quem ſpirat Filius, atque Pater.
21 Mittitur à nullo Genitor; (22) cognoſcere nullam
Principii ſpeciem ſcilicet ille poteſt.
23 Par tamen eſt miſſo mittens; (24) quia creditur unus,
Idem perſonis in tribus eſſe, Deus.

17 Miſſio igitur divinæ perſonæ convenire poteſt ſecundum quòd importat ex unà parte proceſſionem originis à mittente, & ſecundum quòd importat ex alià parte novum modum exiſtendi in alio. *S. Thom. 1. p. qu. 43. art. 1.*

18 Cum tam Filio, quàm Spiritui ſancto conveniat, & inhabitare per gratiam, & ab alio eſſe, utrique convenit mitti. *S Thom. 1. p. qu. 43. art. 5.*

19 Miſit me vivens Pater. *Joan. 6.*

20 Paraclitus Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo. *Joan. 14.*

21 Solus Pater nunquam legitur miſſus. *S. Auguſt. lib. 2. de Trin. cap. 5.*

22 Cum Pater non ſit ab alio, nullo modo convenit ſibi mitti. *S. Thom. 1. p. quæſt 43. art. 4.*

23 Miſſio in divinis non importat, niſi proceſſionem originis, quæ eſt ſecundùm æqualitatem. *S. Thom. 1. p. quæſt. 43. art. 1.*

24 Quia in illo uno vero Deo Trinitate, non ſolùm, quòd unus Deus eſt, ſed etiam quòd Trinitas eſt, naturaliter verum eſt: propterea ipſe verus Deus in perſonis Trinitas eſt, & in unà naturà unus eſt. *S. Fulgent. lib. de Fide ad Petrum.*

Digitized by Google

Digitized by Google

DE CREATIONE ANGELI, ET HOMINIS, AC UTRIUSQUE LAPSU.

IV.

1 SPirituum Deus eſt, rerumque, hominumque creator:
2 Ipſe in principio condidit omne, quod eſt.
3 Solus & (4) ex nihilo Omnipotens eduxerat omne.
5 Nil erat; ut, fiat, protulit: omne fuit.
6 Cumque Deus Cœlum, Stellaſque crearet, & Ignem,
Et Terram, atque Undas, Aëreaſque plagas,
6 Unà Spirituum fertur genus omne creaſſe:
7 Atque creaſſe alto fertur in Empyreo.

1 Credo in unum Deum factorem Cœli, & Terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. *In Symb. Nican.*

2 In principio creavit Deus Cœlum, & Terram. *Geneſ. 1.*

3 Unus eſt Altiſſimus creator omnipotens. *Eccli. 1.*

4 Deus ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem. *Concil. Lateran. ſub Innoc. III. cap. 5.*

5 Ipſe dixit, & facta ſunt. *Pſal. 148.*

6 Cum enim ſimul factum Cœlum, Terraque deſcribitur, ſimul ſpiritualia, atque corporalia, ſimul quidquid de Cœlo oritur, ſimul factum quidquid de Terrà producitur, indicatur. *S. Gregor. Moral. lib. 32. cap. 12.*

7 Conveniens ſuit, quòd Angeli in ſupremo corpore crearentur, tanquam toti creaturæ corporeæ præſidentes, ſive id dicatur Cœlum Empyreum, ſive qualitercumque nominetur. *S. Thom. 1. p. qu. 61. art. 4.*

8 An-

8 Angelus haud ullo compactus corpore vivit,
Et mortale nihil non periturus habet.
9 Non ſimul ille locis in pluribus eſt; at in uno:
10 Definitivè permanet inque loco.
11 Atque loco ex uno Angelus ad loca ſe nova confert;
Nec medias unquam cogitur ire vias.
12 Ipſe ſuam per ſe naturam intelligit, atque
Comprendit mentis viribus ipſe ſuæ.
13 At, ſi res alias à ſe cognoſcere curet,
Illi opus impreſſis tunc ſpeciebus erit.
14 Quas tamen haud unquam ex objectis accipit; illi
Has Deus infuſas, cum dedit eſſe, dedit.

8 Omnes intellectiles, ac intelligentes ſubſtantiæ vitam habent ſempiternam, & indeficientem, ab omni corruptione, & morte, & materiæ, generationeque liberæ, necnon ab inſtabili, fluxaque, quæ in diverſa diverſimode fertur permutatione ſemotæ, & tanquam incorporeæ, & immateriales intelliguntur, & ut mentes ſupermundialiter intelligunt, atque propriis rerum rationibus illuſtrantur. *S. Dionyſ. de divin. Nom. cap. 4. §. 1.*

9 Non enim cum in Cœlo ſunt, in Terrâ verſantur, nec, cum à Deo in Terram mittuntur, remanent in Cœlo. *S. Jo: Damaſc. de Fide Orthod. lib. 2. cap. 3.*

10 In locis ſunt: non quòd corporeo modo circumſcribantur, (neque enim more corporum, quoad naturam attinet, figurantur, aut trinâ dimenſione diſtenti ſunt) ſed quòd ubi ſe conferant, illic ſpiritualiter adſint, & operentur. *S. Jo: Damaſc. de Fid. Orthod. lib. 2. cap. 3.*

11 Moveri de extremo in extremum, & non per medium, poteſt convenire Angelo, ſed non corpori, quia corpus menſuratur, & continetur ſub loco; unde oportet quòd ſequatur leges loci in ſuo motu; ſed ſubſtantia Angeli non eſt ſubdita loco, ut contenta, ſed eſt ſuperior eo, ut continens; unde in poteſtate ejus eſt applicare ſe loco, prout vult, vel per medium, vel ſine medio. *S. Thom. 1. p. qu. 53. art. 2.*

12 Angelus per ſuam formam, quæ eſt ſua ſubſtantia, ſeipſum intelligit. *S. Thom. 1. p. qu. 56. art. 1.*

13 Angelus autem per ſuam eſſentiam non poteſt omnia cognoſcere, ſed oportet intellectum ejus aliquibus ſpeciebus perfici ad res cognoſcendas. *S. Thom. 1. p. qu. 55. art. 1.*

14 Species, per quas Angeli intelligunt, non ſunt à rebus acceptæ, ſed eis connaturales. — Angeli ſuam perfectionem intelligibilem conſequuntur per intelligibilem effluxum, quo à Deo ſpecies rerum cognitarum acceperunt ſimul cum intellectuali naturâ. *S. Thom. 1. p. qu. 55. art. 2.*

Digitized by Google

15 Angelus haud certâ noſcit ratione futura;
Fortuitò ex cauſis evenienda ſuis.
16 Nec noſcit quid corde homines, animoque revolvant:
Cum penetret ſolus corda ſub ima Deus.
17 Quidquid agit, liber, promptuſque agit Angelus: ipſe
Libertate frui dicitur arbitrii.
18 Atque inter ſeſe certum eſt miſcere loquelas
Aligeros; (19) promunt non tamen ore ſonos:
19 Velle loqui ſatis eſt; animo, non ore loquuntur:
20 Conceptus jubeant mente patere, patent.
21 At Deus hos ſuperâ Cœli in regione creatos
Non beat aſpectu protinus ipſe ſuo:
22 Inque ſtatu ſinit eſſe viæ non tempore longo,
In quo opportunam ſuppeditabat opem.

15 Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos. *Iſa.* 41. Quæ ex ſuis cauſis proveniunt, ut in pluribus, cognoſcuntur, non per certitudinem, ſed per conjecturam; & iſte modus cognoſcendi futura adeſt Angelis. Quæ verò proveniunt ex cauſis ſuis, ut in paucioribus, penitus ſunt ignota, ſicut caſualia, & fortuita. *S. Thom.* 1. *p. quæſt.* 57. *art.* 3.

16 Nulli alii, ſed divinæ tantummodo naturæ Propheta attribuit illud: *Scrutans corda, & renes Deus. S. Cyrill. lib.* 2. *in Joan. cap.* 19.

17 Natura angelica, quando creata eſt, liberum accepit arbitrium. *S. Gregor. in Ezechiel. lib.* 1. *hom.* 7. *num.* 18.

18 Seraphim clamabant alter ad alterum. *Iſa.* 6. Clamavit unus Angelus ad alios quatuor Angelos. *Apoc.* 7.

19 Angelis nec linguâ opus eſt, nec auribus, ſed ſine ulla prolati ſermonis ope mutuò ſibi ſenſa ſua communicant, & conſilia. *S. Jo: Damaſc. de Fid. Orthod. lib.* 2. *cap.* 3.

20 Conceptus mentis unius Angeli percipi poteſt ab altero per hoc, quòd ille, cujus eſt conceptus, ſuâ voluntate ordinat ipſum ad alterum. *S. Thom.* 1. *p. quæſt.* 107. *art.* 5.

21 Ultimam beatitudinem, quæ facultatem naturæ excedit, Angeli non ſtatim in principio ſuæ creationis habuerunt. *S. Thom.* 1 *p. quæſt.* 62. *art.* 1.

22 Gratiam habuit Angelus, antequam eſſet beatus, per quam beatitudinem meruit. *S. Thom.* 1. *p. quæſt.* 62. *art.* 4.

Digitized by Google

23 Non pauci at propriis tumidi de dotibus, ipſa
Sunt auſi Auctoris temnere dona ſui.
24 Cœleſtes torſit veſana ſuperbia cives,
Ut ſuprema, Deo vindice, damna ferant.
25 Sed plures humili venerati mente Tonantem,
26 Illico perpetuæ præmia pacis habent.
27 Non fœdare queunt ultra ſe crimine; (28) ſummum
Quandoquidem nequeunt non adamare Bonum.
29 Et præſunt vigiles Cœlo, Terriſque; foventes,
Deciduos validâ noſque tuentur ope.
30 Spirituum ſed cœtus, monſtra inviſa, malorum
Ad Stygia indignans dejicit antra Deus.
31 Atque repoſcit ibi juſtas de crimine pœnas,
Torquens perpetuo ſcilicet igne reos.

23 In Angelis ſuis reperit pravitatem. *Job* 4. Angelus abſque omni dubio peccavit appetendo eſſe, ut Deus. —— In hoc appetiit indebitè eſſe ſimilis Deo, quia appetiit, ut finem ultimum beatitudinis, id, ad quod virtute ſuæ naturæ poterat pervenire, avertens ſuum appetitum à beatitudine ſupernaturali, quæ eſt ex gratia Dei. Vel, ſi appetiit, ut ultimum finem, illam Dei beatitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem ſuæ naturæ, non ex divino auxilio, ſecundùm Dei diſpoſitionem. *S.Thom. 1.p qu.63. art.3.*

24 Superbia virtutem incorpoream è ſublimi detraxit, ac dejecit, eo quòd Diabolum, cum Diabolus non eſſet, ut hoc eſſet, effecit, nimirum Diabolus. *S.Joan. Chryſoſtom. de verb. Iſa. Vidi Dominum, hom.3.*

25 Plures Angeli permanſerunt, quàm peccaverunt. *S.Thom. 1.p.qu 63. art.9.*

26 Statim, poſt unum actum charitate informatum, Angelus beatus fuit. *S. Thom. 1. p. qu.62. art. 5.*

27 Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites omnem creaturam naturaliter mutabilem à Deo incommutabili factam eſſe, nec tamen poſſe quemlibet ſanctorum Angelorum in deterius mutari; quia ſic acceperunt æternam beatitudinem, qua Deo ſtabiliter perfruuntur, ut eâ carere non poſſint. *S.Fulgent. lib. de Fide ad Petr.cap* 23.

28 Voluntas videntis Dei eſſentiam ex neceſſitate amat. *S. Thom. 1. 2. qu. 4. art. 4.*

29 Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus. *Ad Hebr.1.*

30 Deus peccantibus Angelis non pepercit, ſed rudentibus Inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos. *2.S.Petri cap. 2.*

31 Neque illud dici poterit, in quo nonnulli ſeipſos ſeducunt, ignem, æternum dictum, non ipſam combuſtionem æternam. Erit ergo æterna combuſtio, ſicut ignis. *S. Auguſtin. de Fid. & operib. cap. 15.*

32 Cor-

32 Corporeuſque ignis puras ſine corpore mentes
 Excruciare, Deo vim tribuente, poteſt.
33 Semper & innectunt fictis mendacia verbis,
 A primo ſiquidem Vero abiere procul.
34 Inque malo tam firma manet labefacta voluntas
 Ipſorum, ut nunquam non mala velle queant.
35 Attamen haud ipſis ſatis eſt peccaſſe; ſed ultro
 Ad ſcelera extimulant, non prohibente Deo:
35 Namque omnis cura eſt homines abducere recto,
 Quos agitant variis nocte, dieque dolis.
36 Spirituum poſtquam Deus agmina cuncta crearat,
 Et Cœlum, & Terram, quæque in utroque manent;
36 Tunc formaſſe hominem Divinâ ab imagine ductum,
 37 Cunctorum primum fertur in Orbe patrem.
38 Atque illi, ſimul & mortali cuilibet unam
 Ipſe animam infundit, ſolus & ipſe creat.
39 Hæc mixtâ ſine materiâ eſt, & purus habenda
 Spiritus; (40) hinc mortis fata ſubire nequit.

32 Dæmones, licèt incorporei, corporeis ignibus cruciandi. *S. Auguſtin. de Civit. Dei lib. 21. cap. 10.*

33 Non eſt veritas in eo, cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax eſt, & pater ejus. *Joan. 8.*

34 In igne Inferni omnes Angeli prævaricatores, nec malâ poſſunt voluntate carere, nec pœnâ. *S. Fulg. lib. de Fide ad Petr. cap. 3.*

35 Draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui ſeducit univerſum Orbem. *Apocal. 12.*

36 Iſtæ ſunt generationes Cœli, & Terræ, quando creata ſunt in die, quo fecit Dominus Deus Cœlum, & Terram. — Et homo non erat, qui operaretur Terram. — Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem. *Geneſ. 2.* Deus creavit de terrâ hominem, & ſecundùm imaginem ſuam fecit illum. *Eccli. 17.*

37 Factus eſt primus homo Adam in animam viventem. *1. ad Cor. 15.*

38 Qui finxit ſigillatim corda eorum. *Pſalm. 32.*

39 Incorpoream eſſe animam, etſi difficilè tardioribus perſuaderi poteſt, mihi tamen fateor eſſe perſuaſum. *S. Auguſtin. epiſt. 28. ad Hieron.*

40 Damnamus, & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectualem mortalem eſſe, aut unicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes. *Concil. Later. ſub Leone X. ſeſſ. 8.*

41 Tunc Adam rerum potuit cognoſcere cauſas,
Naturæ occultos & penetrare ſinus.
42 Clariùs atque Deum, (43) quædam & myſteria novit,
Quæ ipſum conveniens non latuiſſe fuit.
44 Gratia ſanctificans, & quæ comitantur eamdem
Virtutes, illi donaque Amoris erant.
45 Et ratione ſui dominâ, vitæque magiſtrâ
Jura ſuis latè ſenſibus ille dabat.
46 Inſuper, ut Princeps, animalia cuncta regebat:
Illaque ceu Dominum viſa timere ſuum.
47 Tunc non debuerat mortis ſuccumbere fato:
48 Crimine, clauſa priùs, mortis aperta via eſt.
49 At ſimul ac captus mendacis fraude colubri,
Blandiloquæ uxori credulus ille fuit;
49 Et parere Deo pro libertate recuſans,
Lethiferâ eſt auſus carpere poma manu;
49 Extemplo (heu ſcelus ingens) quanta receſſit ab illo
Gloria, vis, virtus, gratia, vita, decus!

41 Diſciplinâ intellectus replevit illos, creavit illis ſcientiam ſpiritus, & ſenſu replevit cor illorum, & mala, & bona oſtendit illis. Poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum oſtendere illis magnalia operum ſuorum. *Eccli.* 17.

42 Cognoſcebat Deum quadam altiori cognitione, quàm nos nunc cognoſcamus. *S. Thom. 1. p. quæſt.* 94 *art.* 1.

43 De ſupernaturalibus tantùm cognitionem primus homo accepit, quanta erat neceſſaria ad gubernationem vitæ humanæ ſecundùm ſtatum illum. *S. Thom. 1. p. quæſt.* 94. *art.* 3.

44 Creavit Deus hominem innocentem, rectum, probum, omni virtutum genere exornatum. *S. Jo: Damaſc. lib.* 2. *de fide cap.* 12.

45 In ſtatu innocentiæ inferior appetitus erat rationi totaliter ſubjectus; unde non erant in eo paſſiones animæ, niſi ex rationis judicio conſequentes. *S. Thom. 1. p. quæſt.* 95. *art.* 2.

46 Dedit illi poteſtatem eorum, quæ ſunt ſuper Terram. Poſuit timorem illius ſuper omnem carnem. Et dominatus eſt beſtiarum, & volatilium. *Eccli.* 17.

47 Deus creavit hominem inexterminabilem. *Sap.* 2.

48 Per peccatum mors. *Ad Rom.* 5.

49 Si quis non confitetur totum Adam per illam prævaricationis offenſam ſecundùm corpus, & animam in deterius commutatum fuiſſe, anathema ſit. *Concil. Trid. ſeſſ.* 5. *de peccat. origin.*

50 Sed peccante Adâ pœnam ſentire nepotes
Cogimur, & primi crimina ferre patris.
50 Scilicet in gnatos crimen traducitur illud,
Atque omnes ipſum nos facit eſſe reos.
50 Omnes juſtitiâ primævâ orbamur ab illo,
Quæ lux, & rectæ dux rationis erat.
50 Unde dolor, luctus, lethumque, errorque, laborque
Fluxere, & ſi quid pejus in Orbe furit.

50 Propterea, ſicut per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. *Ad Rom.* 5. Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem, & juſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non etiam nobis cum perdidiſſe, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, anathema ſit. *Concil. Trid. ſeſſ. 5. in decret. de peccat. orig.*

DE

Digitized by Google

DE DIVINI VERBI INCARNATIONE.

V.

1 Viderat æthereâ Superum Regnator ab arce
Tartarea humanum regna ſubire genus;
1 Hinc Verbum, veterem labem ut mortalibus ægris
Ablueret, largo & munere ferret opem,
1 Labitur in Terram; (2) humanam, propriâque retentâ,
Naturam aſſumit: fitque ita Numen homo.
3 Verus homo, verus pariter Deus; (4) unus utrumque:
Naturæ plures, una & hypoſtaſis eſt.
5 Conveniunt bene, perſonâque morantur in unâ
Tum ſimul eſſe hominis, tum ſimul eſſe Dei.

1 Chriſtus Jeſus venit in hunc Mundum peccatores ſalvos facere. 1. *ad Tim.* 1.

2 Verbum caro factum eſt. *Joan.* 1.

3 Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens. *S. Athanaſ. in Symb.*

4 Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè, & ſecundùm veritatem ex duabus, & in duabus naturis ſubſtantialiter unitis, & inconfusè, & indivisè, unum, eumdemque eſſe Dominum, & Deum Jeſum Chriſtum condemnatus ſit. *Concil. Lateran. ſub Martino I. Action. ſeu Secret.* 5. *can.* 6.

5 Simili ratione etiam in Chriſto Domino eadem perſona eſt, & diverſæ ſubſtantiæ; cum enim una ſit perſona, ſeu hypoſtaſis, alterius ſubſtantiæ eſt Divinitas, alterius, ac diverſæ humanitas. *S. Maxim. tom.* 2. *de duab. Chriſti naturis num.* 2.

6 Tum-

6 Tumque Deus carnem Cœlo delapſus ab alto
Sumpſit, conveniens cum mage tempus erat.
7 Nec placare Deum, quem culpa incenderat irâ,
Quantâvis meriti vi potuiſſet homo;
7 Si non humanâ Verbum ſub imagine natum
Solveret æterno debita quæque Patri.
8 Haud anima, haud corpus per ſe ſubſiſtere cœpit;
A Verbo aſſumi cœpit, & eſſe ſimul.
9 Veram animam, verum corpus Patris unica Proles
Sumpſerat, ut fieret nempe ita verus homo.
10 Corporis atque aliquos defectus ſumpſit; at illos
Quêis hominis corpus non caruiſſe poteſt.
11 Attamen haud ullas unquam labeſque, notaſque
Affirmandum animâ Chriſtum habuiſſe ſuâ.
11 Nullas nam ſordes contraxit crimine ab illo,
Quod fuit humani ſeminis atra lues.
12 Ullo non unquam maculavit crimine vitam:
13 Vel leve nec potuit velle patrare ſcelus.

6 At ubi venit plenitudo temporis miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege. *Ad Gal.* 4.

7 Nullatenus humana natura ad auferendum peccatum Mundi ſufficiens, atque idonea fieret, niſi unione Verbi Dei. *S. Fulgent. lib. de Incarn. cap.* 4.

8 Quamobrem ſimul atque caro extitit, ſimul quoque Dei Verbi extitit caro, ſimul caro animata rationis particeps, & intelligentiæ. *S. Joan. Damaſc. de Fide Orthodox. lib.* 3. *cap.* 2.

9 Factus eſt autem homo, non ſpecie utique, ſed veritate formatus. Ita enim Scripturæ figura ſervatur, ut & Unigeniti gloria, & perfecti hominis natura ſervetur in Chriſto. *S. Ambroſ. de fide Reſurrect. lib.* 2. *num.* 103.

10 Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo. *Ad Philip.* 2. Sunt autem defectus, qui in omnibus hominibus communiter inveniuntur ex peccato primi parentis: ſicut mors, fames, ſitis, & alia hujuſmodi, & hos defectus omnes Chriſtus ſuſcepit. *S. Thom.* 3 *p. quæſt.* 14. *art.* 4.

11 Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus. *Ad Hebr.* 7

12 Quis ex vobis arguet me de peccato? *Joan.* 8.

13 Nemo eſt qui peccare non poſſit, niſi unus Chriſtus, ſicut & Pater Chriſti, & Spiritus ſanctus. *Dionyſ. Alexand. in epiſt. contra Paulum Samoſat.*

14 Ulla

14 Ulla nec inſedit Chriſti ignorantia mente;
Noſcere cuncta illi, cunctaque ſcire datum.
15 Et ſi fortè animi potuit perferre tumultus
Humani; hos tantùm pertulit ille volens:
16 Attamen in Chriſto planè diſtinguitur omne,
Quod proprium eſt hominis, quód propriumque Dei:
16 Nam natura hominis non fit natura Tonantis,
Una nec alterius docta ſubire vices.
17 Quod propriū eſt hominis, proprium quod Numinis, ipſo
De Chriſto, aut Verbo dicere jure potes.
18 Sed quod naturæ humanæ proprium eſſe videmus,
Hoc de divinâ dicere nemo poteſt.
18 Et quod divinæ naturæ convenit, illud
De humanâ prohibet dicere certa Fides.
19 At natura hominis, ſimul ac cum Numine juncta eſt,
Ilicet excelſo eſt ſanctificata gradu;

14 Domine, tu omnia noſti. *Jo: 21.*

15 Neque voluntas divina, neque voluntas rationis in Chriſto impediebatur, aut retardabatur per voluntatem naturalem, aut per appetitum ſenſualitatis: ſimiliter etiam nec è contrario voluntas divina, vel voluntas rationis in Chriſto refugiebat, aut retardabat motum voluntatis naturalis humanæ, & motum ſenſualitatis in Chriſto. — Hoc ipſum, quod aliqua voluntas humana in Chriſto aliud volebat, quàm ejus voluntas divina, procedebat ex ipſâ voluntate divinâ, cujus beneplacito natura humana motibus propriis movebatur in Chriſto, ut Damaſcenus dicit. *S.Thom. 3.p. qu.18, art.6.*

16 Totus Deus, totus homo, unitis inter ſe ſine confuſione, mutatione, ac diviſione naturis. *S.Jo: Damaſc. de natur. comp. contr. Acephalos num. 9.*

17 Cum de perſonâ ſermo eſt, ſive ab utraque parte ſimul, ſive ab alterâ tantùm eam appellemus, utriuſque naturæ proprietates ipſi imponimus. *S.Jo: Damaſc de Fid. Orthod. lib.3. cap.4.*

18 Ea, quæ ſunt unius naturæ, non poſſunt de aliâ prædicari, ſecundùm quod in abſtracto ſignificatur. *S.Thom. 3.p. qu. 16. art. 5.*

19 Verbum caro factum eſt: — plenum gratiæ, & veritatis. *Joan. 1.*

Digitized by Google

20 Quòd data ſanctificans fuit illi gratia, (21) quòdque
Præterea ipſo cum Numine juncta fuit.
22 Atque fuit Chriſto data gratia talis, ut unquam
Haud fieri major, quàm fuit ante, queat.
23 Et collata fuit gratis-data gratia; magnum,
Per quam conſtanti mente peregit opus.
24 Virtutesque ipſi conformes quæque fuere,
25 Cumque ſuis donis Spiritus almus erat.
26 Fertur & in Chriſto inſediſſe ſcientia duplex;
Una beata, infuſa altera nempe fuit.
27 Per primam Verbum cognovit, (28) & omnia in ipſo,
Quæ ſunt, quæ fuerant, quæque futura forent.

20 Chriſtus habuit gratiæ plenitudinem. *S. Thom. 3. p. qu. 7. art. 9.*

21 Chriſtus ſiquidem ſeipſum unxit, corpus videlicet ſuum Divinitate ſuâ ungendo tanquam Deus, unctus autem, ut homo, quandoquidem ipſe, & hoc, & illud eſt. Unctio porro humanitatis eſt Divinitas. *S. Joan. Damaſc. de Fide Orthod. lib. 3. cap 3.*

22 Gratia Chriſti non poteſt augeri ex parte ipſius gratiæ, ſed neque etiam ex parte ipſius ſubjecti. *S. Thom. 3. p. qu. 7 art. 12.*

23 Manifeſtum eſt, quòd in Chriſto excellentiſſimè fuerunt omnes gratiæ gratis-datæ, ſicut in primo, & principali Fidei Doctore. *S. Thom 3. p. qu. 7. art. 7.*

24 Cum gratia fuerit perfectiſſima, conſequens eſt, quòd ex ipsa proceſſerint virtutes ad perficiendum ſingulas potentias animæ, quantùm ad omnes animæ actus; & ita Chriſtus habuit omnes virtutes. *S. Thom. 3. p. qu. 7. art. 2.*

25 Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilii, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini. *Iſa. 11.*

26 In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. *ad Col. 2*

27 Anima Chriſti perfectiùs videt Deum, quàm quælibet alia creatura. *S. Thom. 3. p. qu. 10. art. 4.*

28 Anima Chriſti in Verbo cognoſcit omnia exiſtentia ſecundùm quodcumque tempus. *S. Thom. 3. p. qu. 10. art. 2.*

29 Per-

Digitized by Google

29 Perque aliam novit perfectè ille omnia, poſſunt
Quæ noſci humanâ à mente, vel Angelicâ.
30 Acquiſita erat in Chriſto inde ſcientia; qua res
Fertur is humano perdidiciſſe modo.
31 Neve voluntatis deerat vis plena, (32) fruentis
Libertate ſui ſcilicet arbitrii.
33 Hinc eſt dicendum verè potuiſſe mereri,
Et merita in factis enituiſſe ſuis.
34 Et meruit toto nimirum tempore: nulla
Res caruit meriti pondere, nulla dies.
35 Atque ſatisfecit meritorum munere Patri;
36 His infinitum namque inerat pretium.
Proh quantùm factis generi meruiſſe fatendum eſt
Humano! quantùm promeruiſſe ſibi!

29 Secundùm ſcientiam divinitus inditam anima Chriſti primo quidem cognovit quæcumque ab homine cognoſci poſſunt per virtutem luminis intellectus agentis: ſecundò cognovit Chriſtus omnia illa, quæ per revelationem divinam hominibus innoteſcunt; ſive pertinent ad donum prophetiæ, ſive ad quodcumque donum Spiritus ſancti; omnia enim iſta abundantiùs, & pleniùs cæteris cognovit anima Chriſti. *S.Thom. 3. p. qu 11. art.1.* Scientia indita animæ Chriſti fuit multò excellentior, quàm Angelorum ſcientia, & quantùm ad multitudinem cognitorum, & quantùm ad ſcientiæ certitudinem. *Art. 4.*

30 Jeſus proficiebat ſapientiâ, & ætate. *Luc. 2.*

31 Pater, non mea voluntas, ſed tua, fiat. *Luc. 22.*

32 Oblatus eſt, quia ipſe voluit. *Iſa. 53.*

33 Cauſa meritoria noſtræ ju[illegible]ificationis Dominus noſter Jeſus Chriſtus. *Concil. Trid. ſeſſ 6. cap 7.*

34 Qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum, quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper. *Joan 8.* Anima Chriſti in eodem inſtanti habuit creari, & infundi, & gratiâ informari, & exire in actum meriti, quæ quidem conſiſtit in motu bonæ voluntatis. *S. Bonavent. t. 5. lib. 3. diſt. 18. qu. 1.*

35 Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, ſuâ ſanctiſſima paſſione nobis juſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit. *Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 7.*

36 Meritum illius penſatur ſecundùm dignitatem illius perſonæ, à qua exit opus; & propterea meritum paſſionis ſuæ in infinitum excedit merita paſſionum noſtrarum. *S. Bonav. t. 5. lib. 3. diſt. 13 qu. 1.*

 37 Ob-

37 Obtigit ex merito, ut ſit gloria corporis ipſi;
Nomen & ut nomen ſit ſuper omne ſuum.

38 Promeruit nobis æternæ præmia vitæ;
Planum iter, & mollem ſtravit ad aſtra viam.

39 Ut genus humanum repararet crimine lapſum,
Venerat, & cunctis ut foret una ſalus.

40 Pro cunctis meruit, (41) meruit pro quolibet: (42) omnes
At non par illo ex munere munus habent.

43 Et de condigno meruit; (44) licèt ipſe Parentem
Dicatur precibus ſollicitaſſe ſuum.

45 Quin etiam Cœli ſupremâ in parte triumphans
Fertur adhuc validas ingeminare preces.

46 Rex latè eſt Chriſtus Regum, & Dominus Dominantûm;
47 In Cœlo, in Terrâ maximus imperio.

48 Atque ſuâ eſt primus pro majeſtate Sacerdos,
Atque hominum Princeps, Aligerumque Caput.

37 Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam. *Luc.* 24. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quòd & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. *Ad Philip.* 2.

38 Gratia Dei, vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro. *Ad Rom.* 6.

39 Unus mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. 1. *ad Tim.* 2.

40 Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. 2. *ad Cor* 5.

41 Unicuique noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti. *Ad Epheſ.* 4.

42 Uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum. *Matth.* 25. Unuſquiſque proprium donum habet ex Deo: unus quidem ſic, alius verò ſic. 1. *ad Cor.* 7.

43 Inventum eſt unum pro omnibus ſimul hominibus dignum pretium, nempe ſanctus, & omni pretio ſuperior, pretioſus ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti. *S. Baſil. in Pſalm.* 48.

44 Erat pernoctans in oratione. *Luc.* 6.

45 Chriſtus Jeſus, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. *Ad Rom* 8.

46 Rex Regum, & Dominus Dominantium. *Apoc.* 19.

47 Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in Terrâ. *Matth.* 28.

48 Conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſupra omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro; & omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam. *Ad Epheſ.* 1.

49 Et plenâ Judex eſt vi, & probitate verendus:
 50 Unica ſpes hominum, gloria, vita, ſalus.
50 Ille fores etenim celſi patefecit Olympi,
 Clauſit Tænarias, & ſine Sole domos.
51 Ergo, qui ſuperas felix conſcendit ad arces,
 Hoc meritis debet, Chriſte, referre tuis:
52 Qui miſer ad Manes contra dilabitur imos,
 Debet demeritis hoc tribuiſſe ſuis.

49 Ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum, & mortuorum. *Act.* 11.

50 Deus correſuſcitavit nos, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu. *Ad Epheſ.* 2.

51 Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum. *Ad Eph.* 1.

52 Omnibus reſurrexit, ideò autem paſſus eſt, ut tolleret peccatum Mundi. Si quis autem non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe fraudat; ut ſi quis clauſis feneſtris radios Solis excludat: non enim ideo Sol non eſt ortus omnibus, quia calore ejus ipſe ſe fraudavit. *S. Ambr. in Pſal.* 118.

Digitized by Google

DE GRATIA DIVINA

VI.

1 GRatia, communi, latoque ex nomine ſumpta,
Eſt donum gratis dantis amore datum;
2 Sumpta tamen ſtrictè, donum eſt divinitus ultro
Impertitum homini, quo petere aſtra queat.
Hæc autem duplex: gratis-data dicitur una,
Et gratum-faciens altera dicta fuit.
3 Prima eſt, per quam tantùm quiſque operatur, ut alter
Innocuus fiat, gratior atque Deo.
4 Altera ſanctificat de ſe, conjungit amori
Divino, & juſtum, cui datur ipſa, facit.

1 Gratia gratuitum munus appellatur. *S. Hieron. in ad Rom. 11.*

2 Alia dilectio Dei eſt ſpecialis, ſecundùm quam trahit creaturam rationalem ſupra conditionem naturæ ad participationem divini boni, & ſecundùm hanc dilectionem dicitur aliquem diligere ſimpliciter, quia ſecundùm hanc dilectionem vult Deus ſimpliciter creaturæ bonum æternum, quod eſt ipſe. Sic igitur per hoc, quod dicitur homo gratiam Dei habere, ſignificatur quiddam ſupernaturale in homine à Deo proveniens. *S. Thom. 1. 2. qu. 110. art. 1.*

3 Unicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alii per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, alteri fides, alii gratia ſanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum. *1. ad Cor. 12.*

4 Duplex eſt gratia: una quidem per quam ipſe homo Deo conjungitur, quæ vocatur gratia gratum-faciens. *S. Thom. 1. 2. qu. 111. art. 1.*

5 In-

5 Inde una ex habitu dicta eſt; quæ permanet intus
More habitus, noſtram condecoratque animam.
6 Altera & ex actu; quæ more videlicet actus
Ad bona mortales excitat, atque movet.
7 Liberi & arbitrii ſi gratia prævenit uſum,
Arbitrium nullâ lædere parte poteſt;
7 Namque vocare Dei eſt, ſed reſpondere vocanti
Eſt hominum: hinc quiſquis, quod velit ipſe, facit.
8 Nemo boni at quidquam faciet, ſi gratia deſit;
Ipſa homini vires addere ſola valet.
9 Hæc eſt, qua Fidei verum cognoſcitur omne,
10 Atque æterna ſalus qua ſit habenda viâ.
11 Hæc, qua quiſque poteſt inſontem ducere vitam,
12 Æternâque ſuper ſidera pace frui.
Gratia ſed triplex hæc eſt; nam prævenit una,
Altera & eſt comitans, tertia ſubſequitur.
13 Gratia præveniens eſt, quæ nos excitat aptè
Ad bona ſectanda, ad defugienda mala.

5 Adjovatur homo ex gratuitâ Dei voluntate, ſecundum quòd aliquod habituale donum à Deo animæ infunditur ad ſupernaturale bonum habendum. *S. Thom. 1. 2. qu. 100. art. 1.*

6 Neceſſarium eſt homini, ut gratiâ Dei non ſolùm juſtificetur impius, ideſt ex impio fiat juſtus, cum redduntur ei bona pro malis; ſed etiam, cum fuerit jam juſtificatus ex Fide, ut ambulet cum illo gratia, & incumbat ſuper ipſum, ne cadat. *S. Auguſt. lib. de grat. & lib. arb. cap. 6.*

7 Dei vocare eſt, & noſtrum credere, nec ſtatim, ſi nos non credimus, impotens eſt Deus, ſed potentiam ſuam noſtro arbitrio derelinquit, ut juſti voluntas præmium conſequatur. *S. Hier. in cap. 49. Iſa.*

8 Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. *2. ad Cor. 3.*

9 Miſericordiam conſequutus à Domino, ut ſim fidelis. *1. ad Cor. 7.*

10 Per gratiam Dei nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum; ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus. *Concil. Milevit. can. 4.*

11 Nemo poteſt dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto. *1. ad Cor. 12.*

12 Gratiâ ſalvati eſtis. *Ad Eph. 2.*

13 Miſericordia ejus præveniet me. *Pſ. 58.* Ecce ſto ad oſtium, & pulſo. *Apoc. 3.*

15 Ul-

14 At verò comitans eſt, quæ nos adjuvat, ipſi
Quando vel volumus, perficimuſve bonum.
15 Ultima ſubſequitur ſuadere volentibus apta,
Ut bona perficiant ſemper, & ipſa velint.
Præveniens geminas admittit gratia partes;
Dictaque ſufficiens, efficienſque fuit.
16 Sufficiens, qua quiſque potens eſt rectè operari;
Qua tamen haud uti, cum queat, inde volet.
17 Efficiens verò, qua quiſque operatur; (18) & ipſâ
Liber agit, liber ſed bona ſemper agit.
19 Gratia ſufficiens latè datur omnibus: (20) omnes
Quandoquidem ſalvos vult Deus eſſe homines.
21 At contra efficiens minimè datur omnibus, illis,
Qui ſunt uſuri ſponte, ſed ipſa datur.
22 Cui tamen efficiens donatur gratia, felix!
Divinâ efficitur dignus amicitiâ.

14 Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tuâ deduxiſti me. *Pſ.* 72.

15 Miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ. *Pſ.* 22.

16 Vocavi, & renuiſtis, extendi manus meas, & non fuit, qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium, & increpationes meas neglexiſtis. *Prov.* 1.

17 Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini. *Ezech.* 36.

18 Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, nec poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit. *Concil. Trident. ſeſſ.* 6, *can.* 4.

19 Gratia in omnes diffuſa eſt: non Judæum, non Gentilem, non Barbarum, non Scytham, non liberum, aut ſervum, non virum, aut mulierem, non ſenem, aut juvenem fugit, & dedignatur; omnibus eadem eſt, omnibus ſe facilem exhibet. *S. Joan. Chryſoſtom. hom.* 7. *in Joan.*

20 Deus omnes homines vult ſalvos fieri. 1. *ad Timoth.* 2.

21 Cujus autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat. *S. Auguſtin. ad Simplician. lib.* 1. *quæſt.* 2.

22 Gratiâ agitur, non ſolùm ut facienda noverimus, verùm etiam ut cognita faciamus, nec ſolùm ut diligenda credamus, verùm etiam ut credita diligamus. *S. Auguſtin. de Grat. Chriſt. lib.* 1, *cap.* 12.

23 Gratia ſanctificans & tum requieſcit in illo,
Per quam fit juſtus quiſque, Deoque placens:
24 Quam condignâ nemo poteſt ratione mereri:
25 Illius augmentum quiſque merere poteſt.
26 Et nulli planè eſt ea gratia debita, culpâ
Quæ prior infectos excitat interiùs.
27 Nec meret ullus homo condignè vivere vitam
Innocuam, & ſanctâ claudere morte dies:
28 Nullaque condignè, & pleno ſibi munera jure
Per merita alterius vindicat, atque preces.
29 At ſibi condignè Cœli parat atria, mundo
Qui complet vitæ tempora corde ſuæ:

---

23 Si quis dixerit homines juſtificari, vel ſolâ imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſolâ peccatorum remiſſione, excluſâ gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantùm favorem Dei, anathema ſit. *Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 11.*

24 Juſtificati gratis per gratiam ipſius. *Ad Rom. 3.* Gratis juſtificari dicimur, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive opera, ſive fides, ipſius juſtificationis gratiam promeretur. *Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 8.*

25 Si quis dixerit ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo, per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, anathema ſit. *Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 32.*

26 Vocavit nos vocatione ſuâ ſanctâ; non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam. *2. ad Timoth. 1.* Declarat ſancta Synodus ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Jeſum Chriſtum præveniente gratiâ ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur. *Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 5.*

27 Reſtat in his bonis uſque in finem perſeverantia, quæ fruſtra quotidie à Deo poſcitur, ſi non eam Dominus per gratiam ſuam in illo, cujus orationes exaudit, operatur. *S. Auguſt. lib. de bon. perſev. cap. 17.*

28 Exaudiuntur omnes Sancti pro ſeipſis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis ſuis, vel quibuslibet aliis. *S. Auguſtin. tract. 102. in Joan.*

29 Sicut merito peccati, tanquam ſtipendium, redditur mors, ita merito juſtitiæ, tanquam ſtipendium vita æterna. *S. Auguſt. epiſt. 105. ad Sixtum.*

30 Nam

30 Nam Deus hæc ultro promittit præmia juſtis:
Atque ita ſub merito dona vel ipſa cadunt.
31 Nemo ſed in Terris, odio, vel dignus amore
Sitne Dei, certâ noſcere mente poteſt.
32 Qui tamen æternæ ſervat præcepta ſalutis,
Integer & vitæ, purus & eſt ſceleris,
32 Dignus amore Dei eſt; & præmia denique ab ipſo
Accipiet meritis uberiora ſuis.
33 Scilicet en Cœlum ſtat pro mercede laboris:
Magnaque erit merces, exiguuſque labor.

30 Atque ideo bene operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Chriſtum Jeſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda. *Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 16.*

31 Neſcit homo, utrùm amore, vel odio dignus ſit; ſed omnia in futurum ſervantur incerta. *Eccle. 9.*

32 Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. *Joan. 14.* Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. *Matth. 5.*

33 Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cœlis. *Matth. 5.*

****

Digitized by Google

DE SACRAMENTIS
IN GENERE,
ET PRÆCIPUÈ DE VENERABILI
EUCHARISTIÆ
SACRAMENTO.

VII.

1 Omnia ſenſibili Chriſtus myſteria ſigno
Inſtituit, quæ homines ſanctificare valent.
2 Plura novæ Legis ſunt Sacramenta: docente
Inſtruimur ſeptem connumerare Fide,

1 Ut explicatiùs, quid Sacramentum ſit, declaretur, docendum erit rem eſſe ſenſibus ſubjectam, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis, & juſtitiæ, tum ſignificandæ, tum efficiendæ, vim habet. *Catechiſm. Concil. Trident. par. 2. cap. 1.*

2 Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis, non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora, quàm ſeptem, videlicet: Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè, & propriè Sacramentum; anathema ſit. *Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 1.*

Digitized by Google

3 Non parvo tamen hæc diſtant diſcrimine ab illis,
Quæ in veteri quondam Lege fuiſſe ferunt.
4 Singula ſed verbis conſtent, ac rebus oportet;
Ne careant formâ, materiâque ſuâ:
4 Præterea, ne fiant irrita, certa Miniſtri
Mens, & ritè volens conveniențis erit.
5 Sacramentorum nequit Angelus eſſe Miniſter:
Dicitur at tantùm poſſe viator homo.
6 Gratia ſanctificans, Virtutes, Donaque Amoris,
Atque ea, quæ à Sacro, gratia, nomen habet,
6 Proveniunt latè per Sacramenta, ſed illi,
Qui bene diſpoſitâ ſumere mente velit.

---

3 Sacramenta novæ Legis multùm differunt à Sacramentis antiquæ Legis; hæc enim non cauſabant gratiam, ſed ſolùm per paſſionem Chriſti dandam figurabant; noſtra verò & continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt. *Concil. Florent. in decret, Fid. poſt. ſeſſ. ultim.*

4 Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet: rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & perſonâ Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia. *Concil. Florent. in decret. Eugenii ad Armenos*.

5 Ad homines pertinet diſpenſare Sacramenta, & in eis miniſtrare, non autem ad Angelos. *S. Thom. 3. p. quæſt. 64. art. 7.*

6 Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, anathema ſit. *Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 6.* Sicut ab eſſentiâ animæ fluunt ejus potentiæ, ita à gratiâ fluunt quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur Virtutes, & Dona, quibus potentiæ perficiuntur in ordine ad ſuos actus; ſicut igitur Virtutes, & Dona addunt ſuper gratiam communiter dictam quãdam perfectionem determinatè ordinatam ad proprios actus potentiarum; ita gratia ſacramentalis addit ſuper gratiam communiter dictam, & ſuper Virtutes, & Dona quoddam divinum auxilium, ad conſequendum Sacramenti finem. *S. Thom. 3. p. quæſt. 62. art. 2.*

7 At

7 At duo ſunt tantùm, queîs gratia prima redundat
Jure ſuo: (8) ex reliquis caſu aliquando venit.
9 Gratia & ex ipſis phyſico producitur actu:
10 Scilicet ex merito, & munere, Chriſte, tuo.
11 Quin etiam impreſſus per quædam eſt ille character,
Quo vel ſupra hominem condecoratur homo.

7 Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ Baptiſmate confertur, reatum origioalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, anathema ſit. *Concil. Trid. ſeſſ. 5. in decret. de peccat. origin.* Si quis dixerit in Catholica Eccleſiâ Pœnitentiam non eſſe verè, & propriè Sacramentum pro Fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, anathema ſit. *Seſſ. 14. can. 1.*

8 Si quis adultus in peccato exiſtens, cujus conſcientiam non habet, vel ſi etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in Confirmationis Sacramento conſequitur remiſſionem peccatorum. *S. Thom. 3. p. qu. 72. art. 7.* Qui eſt in peccato mortali, cujus conſcientiam, & affectum non habet, fortè enim primò non fuit ſufficienter contritus, ſed devotè, & reverenter accedens conſequetur per Sacramentum Euchariſtiæ gratiam Charitatis, quæ contritionem perficiet, & remiſſionem peccatorum. *Qu. 79. art. 3.* Gratia Extremæ Unctionis, ſi invenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit, dummodò non ponatur obex ex parte recipientis, unde Jacobus de remiſſione peccatorum conditionaliter loquitur dicens: *ſi in peccatis ſit, dimittentur ei, &c. In ſuppl. 3. p. qu. 30. art. 1.* Sicut in Baptiſmo, per quem fit homo ſuſceptivus aliorum Sacramentorum, datur gratia gratum-faciens, ita in Sacramento Ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum Sacramentorum diſpenſationem. *In ſuppl. 3. p. qu. 35. art. 1.* Definitio, & definitum debent converti, ſed in definitione ponitur cauſalitas gratiæ; ergo, cum matrimonium ſit Sacramentum, erit cauſa gratiæ. *In ſuppl. 3. p. qu. 42. art. 3.*

9 Ponendo, quòd Sacramentum eſt inſtrumentalis cauſa gratiæ, neceſſe eſt ſimul ponere, quod in Sacramento ſit quædam virtus ſacramentalis ad inducendum ſacramentalem effectum. *S. Thom. 3. p. qu. 62. art. 4.*

10 Si quis dixerit per ipſa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, anathema ſit. *Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 8.*

11 Inter Sacramenta tria ſunt: Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, ideſt ſpirituale quoddam ſignum à cæteris diſtinctivum imprimunt in animâ indelebile; unde in eâdem perſonâ non reiterantur. *Concil. Florent. in decret. Eugen.*

12 Sacramenta tamen ſeſe inter cætera tollit
Excellens unum nobilitate ſuâ,
12 Quod nexu planè mirando, & fœdere ſancto
Vim Sacramenti, Sacrificjque tenet.
12 Hoc eſt, quo Deus humanâ ſub imagine nobis
Traditur in potum, traditur inque cibum:
12 Ipſeque, ſub ſpecie latitans paniſque, merique,
Æterno offertur victima grata Patri.
13 Cumque volens animo profert ſacra verba Sacerdos,
Ipſius in manibus (nec mora) Chriſtus adeſt.
14 Qui modò panis erat, panis tunc deſinit eſſe,
Quod fuit ante merum, deſinit eſſe merum.
15 Attamen eſſe merum quoque tunc, paniſque videtur;
Chriſtus enim ſpecie tectus utrâque latet.

12 Commune hoc quidem eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ formam viſibilem: verùm in eâ illud excellens, & ſingulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primùm ſanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis auctor ante uſum eſt: ſemper enim hæc fides in Eccleſiâ Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem, verum Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis, & vini ſpecie unà cum ipſius animâ, & Divinitate exiſtere. *Concil. Trid. ſeſſ.* 13. *cap.* 3. Si quis dixerit in Miſsâ non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, aut quòd offerri non ſit aliud, quàm nobis Chriſtum ad manducandum dari, anathema ſit; *ſeſſ.* 22. *can.* 1.

13 Docet ſancta Synodus, & apertè, ac ſimpliciter profitetur in almo ſanctæ Euchariſtiæ Sacramento poſt panis, & vini conſecrationem, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum, atque hominem verè, realiter, & ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri. *Concil. Trid. ſeſſ.* 13. *cap.* 1.

14 Perſuaſum ſemper in Eccleſiâ Dei fuit, idque nunc denuo hæc ſancta Synodus declarat, poſt conſecrationem panis, & vini, converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus; quæ converſio convenienter, & propriè à Sanctâ Catholica Eccleſia tranſubſtantiatio eſt appellata. *Concil. Trid. ſeſſ.* 13. *cap.* 4.

15 Hoc ſciens, & pro certiſſimo habens panem hunc, qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti: & vinum hoc, quod à nobis conſpicitur, tametſi ſenſui vinum videatur, non tamen vinum, ſed ſanguinem eſſe Chriſti. *S. Cyrill. Jeroſolymit. Catbec.* 4. *Myſtag.*

Digitized by Google

16 In carnem panis tranſit, vinum inque cruorem:
17 Chriſtus adhuc totus ſed ſub utroque latet.
17 Totus & in minimâ ſtat panis parte repoſtus,
Totus & in minimâ ſtat quoque parte meri.
18 Hinc eſt, quòd, quando in guttas, in fragmina quando
Dividitur potus, dividiturque cibus,
18 Nulla rei ſciſſura ſubeſt. (19) Cibus omnibus æquè eſt:
20 Eſt ſed vita Bonis, mortis origo Malis.
21 Qui namque accedit ſacræ ad libamina menſæ,
Lethali immundum dedecet eſſe notâ.
21 Et, cui fortè foret ſceleris mens certa, diremptum
Quo ſit divinæ fœdus amicitiæ,
21 Ne ſanctas libare dapes ſibi vindicet unquam,
Ni prius à maculis terſerit ipſe ſinum.
22 Utque lavet ſordes, ſordes oſtendat oportet,
23 Cui ſordes animi tergere poſſe datum eſt.

16 In carnem tranſit panis, & vinum in ſanguinem. *S. Thom. opuſc. 57.*

17 Si quis negaverit in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquàque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione factâ, totum Chriſtum contineri, anathema ſit. *Concil. Trid. ſeſſ. 13. can. 3.*

18 Nulla rei ſit ſciſſura, ſigni tantùm ſit fractura. *S. Thom. opuſc. 57.*

19 Corpus Dominicum datum Diſcipulis, ſic totum omnibus, quod totum ſingulis, ejus fatemur manibus. *S. Thom. opuſc. 57.*

20 Mors eſt Malis, vita Bonis. *S. Thom. opuſc. 57.*

21 Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit. *1. ad Cor. 11.*

22 Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debitâ, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occolta, & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant; anathema ſit. *Concil. Trid. ſeſſ. 14. can. 7.*

23 Perſuaſum ſemper in Eccleſiâ Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem. *Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7.*

24 Ip-

Digitized by Google

24 Ipſum pœniteat patrati criminis ante,
25 Seu quòd amet, (26) læſum quòd timeatve Deum:
27 Cui ſe proponat toto poſt tempore velle,
Innocuos purâ ducere mente dies.
28 Et, ſic à maculis mundans præcordia culpæ,
29 Cœleſtes poterit poſcere jure dapes.
30 Sicque erit ipſe Deus mortalibus eſca ſalutis,
Eſca animum paſcens, eſcaque corda beans.
31 Atque ita, quem ſperat tandem ſuper aſtra tueri,
In Terris proprio pectore claudet homo.

24 Convertimini, & pœnitemini, ut deleantur peccata veſtra. *Act.* 3.

25 Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei. *S. Auguſtin. ferm.* 7. *de temp.*

26 Declarat ſancta Synodus illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat: & quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum, ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, diſponit. *Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 4.

27 Contritio animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. *Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 4.

28 Sanè verò res; & effectus Sacramenti Pœnitentiæ quantùm ad ejus vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo. *Concil. Trid. ſeſſ* 14. *cap.* 3.

29 Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa confeſſione ſacramentali ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat: quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuò ſervandum eſſe decrevit, modò non deſit illis copia Confeſſoris: quòd ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſq; prævia Confeſſione celebraverit, quam primum confiteatur. *Concil. Trid. ſeſſ.* 13. *cap.* 7.

30 Salvator noſter ſumi voluit Sacramentum hoc, tanquam ſpiritualem cibũ animarum, quo alantur, & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit: qui manducat me, & ipſe vivit propter me. *Concil. Trid. ſeſſ.* 13. *cap.* 2.

31 Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. *Joan.* 6.

F I N I S.

AP-

APPROBATIONES.

D. Salvinus Salvinius Canonicus Florentinus curet attentè perlegere præſentem Librum, cui titulus *Theologia Scholaſtica Elegiacis verſibus expreſſa*, *&c.* & referat. Dat. ſub die 7. Julii 1727.
Horatius de Mazzeis Vic. Gen.

Cum attentè hæc ſacra Carmina perlegerim, doctiſſimis Adnotationibus illuſtrata, nihilque in iis invenerim, quod, aut ſanctæ Fidei, aut bonis moribus obverſetur, ſed omnia eleganter, & dilucide explicata; typis mandanda cenſeo. Dat. Idibus Quinctilibus An. Sal. CIƆ. IƆ.CCXXVII.
Salvinus Salvinius Canonicus Florentinus.

Attentâ ſupradictâ relatione Imprimatur.
Horatius de Mazzeis Vic. Gener.

Ad admodum Rev. D. Doctorem Joſephum-Mariam de Rubeis Eccleſiæ Metropolitanæ Florentinæ Parochum, & noſtrum Conſultorem, ut videat pro S. Officio, & referat, &c. Dat. in S. Inquiſitione Florentiæ quarto-decimo Kalendas Auguſti 1727.
F. Vincentius de Comitibus à Bergomo Min. Conv. Inquiſitor Generalis Floren.

Reverendiſſime Pater, ac Domine.
Omne tulit punctum, judice Venuſino, hujuſce Libelli Scriptor, *qui miſcuit utile dulci*, Theologus æquè ac Poëta; nihilque à vera Fide alienum, nihil probis moribus abſonum verè Chriſtianus aſſeruit. In quorum fidem, &c. XI. Kal. Sextiles A. D. CIƆ.IƆ.CCXXVII.
Dominationis Tuæ Reverendiſs.
Obſequentiſſimus Famulus
Joſephus-M. Roſſius S. Officii Conſultor.

Stante antedictâ relatione Imprimatur.
Inquiſitor Generalis S. Off. Florent. &c.

Imprimatur.
Philippus Bonarota, S.S.R.C.A.

Digitized by Google

10.2.240

Digitized by Google

10 · 2 · 240

Digitized by Google

Z

10 - 2 - 240

Digitized by Google

005656559

Digitized by Google

Digitized by Google